



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Instructio practica ...**

Institutiones Theologiæ Mysticæ, Seu Facilem & practicum modum  
Exercitia Spiritualia S.P. Ignatii Loyolae per octiduum faciendi - item  
triduanam recollectionem fructosè instituendi complectens, Et  
Sacerdotibus Præcipuè, aut de Sacerdotali Statu suscipiendo  
deliberantibus accomodata, Una cum ...

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1680**

Consi. de minimorum æstimatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48834](#)

æstimatione constitutus, quām per humilitatem vili, siq[ue] adèò aptior ad nomen DEI portandum existere?

5. Ut cera imaginis formam suscipiat, molleia esse oportet; quomodo tu speras, in Christum te per imitationem tuu formandum esse, si per indifferentiam mollescere non possideas?

6. Reliquiae Sanctorum non minori veneratione dignificantur, si in inferiori, quām aliæ gradu collocentur; cur ergo tu tam sollicitè altiore officiorum & dignitatum gradum affectas? cur non potius studes crucifixum Christum representare? sic enim etiam in insimo gradu positus alijs prefereris.

7. Nihil differt, an ægrum in ligneo lecto, an in summa colloces, quia, quocunque transtuleris, morbum suum secum transfert; cur ergo tu non morbum potius curare satigas, quām locum & officia mutare?

8. Planta non facilè convalescit, quæ sepiùs transferuntur; quomodo tu sperabis in Spiritu proficere, si locum & officia perpetuè mutes? an non & hīc applicari potest notum illud: qui multūm peregrinantur, raro sanctificantur?

#### C O N S I D E R A T I O

#### DE MINIMORUM ÆSTIMATIONE.

1. IN nulla re magis Artifices artem suam demonstrant, quām in minimis; cur ergo non & tu per minimorum officiorum electionem & amorem ostendere conaris, quantum in perfectione profeceris?

2. Si omnia æstimantur ex animo & magnitudine illius cui offeruntur; cur tu minima non magni æstimas, quæ Maximo DEO offers, & maximo, si volueris, affectu offert?

3. Gemmario de gemmæ pretio judicanti, etiam communum judicium, assentiris; cur non & Christo minima que, & vilissima summè æstimanti perinde fidem adhibes?

4. Si is, qui separat pretiosum à vili, quasi os DEI efficit Jeremias c. 15. loquitur, cur tu pretiosa officia & similia non separas spernendo, & vilia eligis, ut osculum DEI & amorem mercaris?

5. Christus ne minimum quidem apicem pro tua salute  
prætermisit, cur tu minima prætereras pro maiestate & gloria  
illius?

6. Si is, qui iter magni momenti suscipit, & thesauros  
magno portat, illam semitam magis eligit, quæ à latroni-  
bus & prædonibus tutior est; cur tu pro itinere ad cælum  
non magis viam humilium officiorum, quæ minus exposita  
est in studiis vanæ gloriæ & Diaboli eligis?

7. Si, dum laborandum est, ea libentiùs opera suscipis,  
quæ faciliùs & jucundiùs peraguntur; cur minima opera &  
officia tantopere refugis, ad quæ & minore conatu atque ta-  
lentis opus est, & in quibus majorès plerumque DEUS con-  
solationes operanti largitur?

8. Si servus fidelitatem suam non magis demonstrare po-  
test, quæ si etiā in minimis fidelis sit, cur non & tu per mini-  
morum oblationem optas, occasionem tibi fieri fidelitatis  
tua erga DEUM demonstrandæ, ut audire olim merearis:  
Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, su-  
pra multa te constituam?

### C O N S I D E R A T I O

#### D E F E R V O R E E X C I T A N D O .

1. A Varus nihil relinquit, quod non cupiat, cum tamen  
desideria tantum serviant majori torturæ, quid face-  
ret, si simul ac concupisceret seriò, res possideret, sicut tu fa-  
cere potes? an multum à te perit, si exigatur, ut pessimos,  
id est, avaros imitando optimus fias, & tu facias pro tua glo-  
ria & salute, quod illi pro pœnis & morte tam studiosè  
agunt?

2. Si Mendico per unum diem facultas daretur ex regio  
thesauro, quantum vellet, & posset, auferendi, an putas uni-  
co momento otiaturum? an persuadere tibi potes, non o-  
mnem diligentiam & conatum in exportandis divitiis adhi-  
biturum? cur ergo tu tam tepidè te geris in immortalibus di-  
vitiis hoc per breve vitæ spatio congregandis?

3. Si salus tua, & omnium hominum à quovis tuorum o-  
perum penderet, an non summam in eo perfectè absolvendo  
diligentiam adhiberes? cum ergo nunc à quovis opere tuo  
pendeat